



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

Continuatio præcedentis colloquij super figura hebræorum Aegypto egredientium; & exempla Christianorum in Ecclesia primitiua. Colloq. XXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

*Continuatio precedentis Colloquij
per figura Hebræorum AEGYPTO
egredientium; & exempla Christi-
anorum in Ecclesia Primitiua.*

COLLOQVIUM XXVI.

THEOL.

ACvide mihi nunc sis, quomo-
do singula, quæ à nobis ha-
ctenus in medium allata sūt
per Hebræos ex AEGYPTO migran-
tes, & ad terram promissionis con-
tendentes præfigurata & adombra-
ta nobis sint. Primum enim non
tra magnam difficultatem ac mole-
stiam AEGYPTUM deseruerunt: se-
cundo pro viatico farinam secum
portauerunt: ac tertio omne aurum
& argentum quod ab AEGYPTO
Deo præcipiente mutuari poterant
abstulerunt. Porrò nostra terra pro-
missionis cœlum est, vera patria
quam adspiramus: Ex AEGYPTO
egredi est relinquere peccata & de-
linquendi occasiones, quæ multo
periolem feruitutem nobis con-
liant, quam ea fuit, cui AEGYPTO
subiacebant: & maiora longè obsta-
cula nobis vt cœlo priuemur ob-
stant.

ciunt, quam Pharao terram promif-
 sionibus intrare volentibus præbe-
 bat. Difficultas cum qua egressi sūt,
 significat factum planè heroicum &
 illustre esse, nec nostræ imbecillita-
 ti sed diuinæ tantum gratiæ peccato
 scilicet liberari, & è seruitute dia-
 boli, qui spiritualis Pharao est, vin-
 dicari. Farina vires ac facultates ex-
 iguas significat, à natura nobis datas,
 & ad id negotij adhibendas, quæ vbi
 defecerint, iamque viatico destitui
 inceperimus, Deus in deserto Man-
 na pluet. Aurum, argentum, & vasa
 pretiosa, secundum D. Paulum, &
 doctorum veterū plurimorum sen-
 tentiā, bona opera sunt facta in Base
 S. Crucis, & super fundamentū cha-
 ritatis, quæ principem semper lo-
 cum sibi vendicant inter omnes eos
 modos, quibus difficultates nostræ
 peregrinationis superamus, & coro-
 nam cœlestem consequimur. Hoc
 aurum materiale & mutuo acceptū,
 cum in Aegypto esset, pro solo Pha-
 raone & Aegyptijs erat: At postquā
 id in manus Hebræorum Aegypto e-
 gredientium peruenit, insumptum
 I fuit

fuit muneribus, oblationibus, & a
 cæ foederis fabricandi, alijsque
 operibus sacris in honorem Dei in-
 stituendis. Ita quam diu nos in pec-
 catis sumus, aurum & argentum, &
 est, opera nostra, inimici & prince-
 pes tenebrarum sibi vendicant, qui
 nunquam finem nos persequendi, &
 affligendi faciunt: Cumque in domo
 Domini facta non sint, nec ad hono-
 rem illius, nullam quoque nobis gra-
 tiam aut ius cæli acquirunt. Talia o-
 lim erant, & etiamnum inter impro-
 bos sunt, facta Babyloniorum, Gra-
 corum, Romanorum, dictorum He-
 uetiorum, Alexandri Magni, & plu-
 rimum similibus Ethnicorum, qui pri-
 ce belloque illustres in scholis
 tribunalibus admirabiles erant; ve-
 rum nihil hoc aliud erat quam au-
 rum & argentum Aegyptiorum
 quod pauperes illi ac famelici ho-
 mores tantum & opes coemebant
 quæ aliud nihil sunt, quam vanitas
 imò priuatio gloriæ sempiternæ,
 ideo continuo spiritualiter affligi-
 bantur, mancipia diaboli erant,

ciues tantum opulenti tenebra-
rum. Econtrà quæ Sancti in lumi-
ne legis diuinæ faciebant, aurum &
argentum erat ex Agypto transpor-
tatum, è quorum numero multi in
lege naturæ & Moyſis fuerunt; præ-
cipuè verò Christiani in lege gra-
tiæ, quando in feruore illo nascentis
Ecclesiæ, è spirituali Aegypto e-
gressi, & per Baptismum è tyranni-
de & tenebris peccati liberati, va-
cantesque studiosissimè diuinis &
deuotis actionibus, aurum & ar-
gentum ex possessionibus venditis
collectum ad pedes Apostolorum
deferabant. Erat hoc aurum ex fo-
dinis naturæ erutum, & è cistis Ae-
gyptiorum depromptum, verùm li-
quefactum in fornace charitatis, &
accommodatissimū ad monetam o-
ptimam ex eo procudendam, qua
amplum illud Regnum Dei emere-
tur. Hic fructus erat scholæ illius
quam IESVS CHRISTVS sapien-
tia Patris viuens in hoc mundo ape-
ruerat dicens: *Date eleemosynam,* *Luc. II.*
& ecce omnia sunt vobis. *41.*

- En habes quo aurum tuum ab omni scoria sordibusq; repurges. Et quando adolescentem erudiendum suscipiens ait: *Si vis perfectus esse, vende omnia qua habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & veni sequere me.* Et quando in alio loco omnes docturus inquit: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi arugo & tineas demolitur, vbi fures effodiunt & furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in caelo, vbi nec arugo nec tineas demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.* Item, *Vendite qua possidetis &c.* Ecce tibi hic modum Farinae in Manna conuertendi, aes nostrum in aurum mutandi, terram in caelum ac mortem in vitam transformandi. Ex hac schola & ludo prodierunt qui vanitatibus saeculi valedicentes & mundi superbiam pessundantes felicissimè sicut quoque Hebraei olim prophanorum Regum colla culcauerunt: relinquentesque ciuitates, fortunas, pompas, & omnes carnis illecebras, transierunt in Eremos, loca deserta incoluerunt, &

Matt. 19.
2.

Matt. 6.
20.

Iosue 10.
24.

familias Religiosorum ac numerum
 caelestium bellatorū auxerunt: Me-
 rentes stipendia sub vexillo crucis à *Pf. 73. 25.*
 filio Dei in medio terræ erecto, vt
 ad illud vnumquemque inuitaret:
 Quorum adhuc nostra etiam tem-
 pestate ringente Sathana vestigia
 supersunt, quibus Deus similē mag-
 nanimitatem istiusmodi exequendi
 inspirat. Hi athletæ & pugiles Iesu
 Christi idem planè videns, quod o-
 lim maiores ipsorum conspiciebāt,
 videlicet bona huius mundi supel-
 lectilem tantum esse Aegyptiacorū
 latrunculorum, perireque prorsus,
 nisi à nobis adhibeantur & expen-
 dantur; collocata autem in fundo ce-
 lestis patriæ, aut illic foenori expo-
 sita, vbi centum pro vno penduntur,
 inserere nos numero ciuium coele-
 stium, & pensiones nobis acquirere
 sub dominio diuinæ maiestatis. Quæ
 negotiatio amplior, quæ versura
 fructuosior, quod lucrum denique
 maius isthoc esse potest? & quæ stul-
 titia maior reperietur mundanorū
 tam opimam conditionem reiicien-
 tium? Quæ amentia est, malle aurum

Matt. 19.

29.

*Tempus
est lima
surda.*

suum rubigine corrumpi, & facultates suas latronibus ac furibus pigrius opponere, quàm celo eas credere, & paucillum expectando regnum florentissimum obtinere? Vnde debant iisdem gloriam mundi tempore imminutam decrescere, quod lima quæpiam surda est atterens & arrodens omnia quæ nanciscitur & dente longè pestilentiore ea capens quàm tineæ; quod mille & innumerabilium hominum illustrium ac famosorum gloriam deuorauit, quorum memoria ad nos peruenit, verùm ita ac si nunquam extitissent. Hanc ergo gloriam aspernari, Dei honorem quærere, nostrum ingenium, scientiam, omnesque ad eò vires ad eum honorandum & reuerendum adhibere, illud verè reapse est ædificare arcam foederis & ornamenta domus Dei ex spoliis Aegypti longè meliore modo quam Hebræi conflare: qui solum figurarum istorum erant, hoc est, viatico instruere, arma, aurum, argentum & lapides pretiosos asportare, ad iter nostrum felicissimè proficere.

quendam, & tandem cælorum regnum venale coemendum. Adhæc autem quantum memoria mortis faciat, incredibile propè est: dum enim brevitatem & incertitudinem vitæ, & quantum bene mori referat consideramus, adduntur nobis calcaria ad præparationem celebrandâ, iterq; reiectis & amotis omnibus impedimentis ingrediendum; Primum itaque hoc agit vt vitia fugiamus, & virtutes amplectamur. Nunc quoniam tu sancta quadam curiositate singulatim semper huius doctrinæ capita penficulatius examinari vis, per partes quæ in genere diximus consideremus.

Meditationem mortis plurimum ad peccata euitanda conferre.

COLLOQVIVM XXVII.

QUISQVIS itaque virtu-
tis amore flagras, & timori
DEI studere desideras,
modumq; singularem aliquem pec-
cata euitandi discere concupiscis,

THEOL.